



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Disputatio 1. An Confirmatio sit verum, & proprium Novæ Legis  
Sacramentum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)



# TRACTATUS DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

**C**um Sacramentum confirmationis chrismate ministratur, vocari solet mysterium unguendi. Consecratur autem, quando Episcopus sua manu chrismate consignat illum, qui confirmatur, & verba profert, eaque de causa dicitur consistere in manus impositione. Hæretici autem tenaciter tenent, esse puram Ecclesiasticam cæremoniã, contra illos verò probandum est, esse verum Sacramentum ex iis testim. ex quibus infertur, fuisse signum sensibile, à Christo stabiliter institutum, & collativum Spiritus S. sive abundantis gratiæ; cæterum ut hæc clariora fiant, nota, multiplicem fuisse in primitiva Ecclesia manus impositionem. 1. Dicitur curativa, de qua Marci ultimo, *super agros manus imponent & bene habebunt.* 2. ordinativa, de qua 2. ad Timorh. 1. *admoneo te, ut resuscites gratiam DEI, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* 3. reconciliativa, quæ adhibebatur publicè penitentibus, de qua antiquiss. Conc. Cartag. 4. cap. 80. *omni tempore jejunii manus penitentibus à Sacerdotibus imponantur,* & habetur in Decreto causa 26. quæst. 7. can. 6. A. raulica 1. can. 3. de penitentibus, qui de corpore exeunt, cum reconciliatoria manus impositione recipiant. Agatense can. 11. penitentes tempore, quo penitentiam perunt, impositionem manuum, & cilicium super caput à Sacerdote (sicut ubique constitutum est) consequantur. Ad eum modum invenies a-

lias usitatas manus impositiones apud Arcetium tom. de concord. Ecclesiæ Occid. & Orient. lib. 2. de Conf. cap. 1. Ultima vocatur confirmativa, de qua agimus, & habetur cap. 8. & 19. Actu. Apostolorum. Usus etiam chrismatis multiplex fuit in Ecclesia. Primus cæremonalis respectu Baptismi, quando in vertice ungitur baptizatus; quæ cæremoniã cum instituta sit ab Ecclesia, potest etiam per Ecclesiam mutari, imò Ecclesia valet concedere simplici Sacerdoti facultatem ut ad istum usum chrisma benedicat, ut noravit Eximius Doct. disp. 33. sect. 2. olim autem non licebat Presbyteris præsentè Episcopo baptizate, neque chrismate in vertice ungere, nisi de licentiã Episcopi. Quo in sensu intelligenda sunt aliqua Concilia, & Canon. in quibus insinuat, Sacerdotes ex permissione Episcoporum signasse, & chrismate unxisse infantes, sicque intelligi debet Caput omni tempore de consecr. dist. 4. 2. chrismatis usus consistebat in cæremoniã antiqua, quæ à solo Episcopo adhibebatur, teste Carleton disp. 70. sect. 2. num. 7. videlicet in exorcismis ad expellendum dæmonem. Ultimus chrismatis usus est substantialis respectu Sacramenti Confirmationis, quo in fronte ungitur, qui confirmatur chrismate ab Episcopo benedicto; hæc autem materia, cum instituta sit à Christo Domino, nequit mutari ab Ecclesia.

\* \*

## DISPUTATIO I.

### AN CONFIRMATIO SIT VERUM, ET PROPRIUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM?

**2.** Sacramentum Confirmationis institutum esse à Christo, & quidem immediatè, constat ex dictis à num. 152. de Sacramentis; speciatim verò definitur à Trid. sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniã esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum, anathema sit.* Ex quo impugnantur hæretici delirantes Confirmationem non à Christo Domino, sed à Melchiade Papa institutam, tum etiam Halens. & alii Catholici, qui dixerunt institutam fuisse in conc. Meldensi; ratio est, quia plures PP. diu ante

tempora Meldiadis, aut Concil. Meld. mentionem faciunt hujus Sacramenti, ut sect. sequenti constabit. Pro majori autem claritate moneo ad 3. cap. reduci fundamenta hæreticorum; dicunt enim 1. Sacramentum Confirmationis non inferri ex Scriptura 2. non suaderi traditione primorum Sæculorum. 3. PP. 4. & 5. Sæculi, dum Confirmationem Sacramentum appellarunt, largè, & improprie Sacramenti nomen usurpasse. Ad hæc fundamenta divellenda, sit

*R. P. Gormaz Theolog. Tom. II*

T r a

S E C T I O

## SECTIO I.

*Sacramenti Confirmationis veritas Scriptura, Traditione, & Patribus comprobatur.*

3. **P**ROBATUR 1. conclusio ex Scriptura: Acto- rum 8. Petrus, & Joannes ab Apostolis, qui erant in Hierosolymis, missi fuere ad Samaritanos jam baptizatos, ut per manuum impositionem conferrent illis Spiritum Sanctum; sic enim habet textus: *baptizati tantum erant in nomine Domini. Et SU, tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*; constat etiam ex cap. 19. Paulum iussisse baptizari iterum eos, qui Baptismo Joannis erant baptizati, & cum manus eis imposuisset, descendisse in eos Spiritum Sanctum. Ex quo sic formatur argumentum: illa caeremonia in manuum impositione consistens, per quam baptizatis conferebatur Spiritus Sanctus, erat verum Sacramentum; atqui non erat aliud, nisi quod in Ecclesia Catholica Confirmatio appellatur; ergo &c. Consequentia tenet: min. autem negari nequit ab Haereticis; illi enim duo tantum Sacramenta admittunt, Baptismum scilicet, & Eucharistiam; illa autem impositio manuum manifeste non erat Eucharistia, cum non esset panis, aut vini consecratio, neque erat Baptismus; quandoquidem, ut dicit Scriptura, fiebat post Baptismum, ac proinde, si erat Sacramentum, erat Confirmatio, quod quidem a partium enumeratione manifeste convincitur.
4. Probatur igitur maj. Signum sensibile à Christo institutum collativum gratiae sanctificantis obicem non ponenti est Sacramentum; sed talis erat illa manuum impositio: ergo &c. Consequentia tenet, & maj. constat à num. 4. de Sacramentis. Probatur igitur min. Illa manuum impositio erat signum sensibile collativum Spiritus Sancti, ut ex Scriptura constat; atqui Apostoli non poterant ex sua auctoritate instituire signum Spiritus Sancti collativum; ergo erat institutum à Christo. Subsumo; atqui signum sensibile collativum Spiritus Sancti est collativum gratiae sanctificantis obicem non ponenti: etenim nihil nocius in Scriptura, quam per collationem Spiritus Sancti conferri sanctificantem gratiam obicem non ponenti; ergo ex eo, quod illud signum sensibile esset collativum Spiritus Sancti, erat collativum sanctificantis gratiae data, ad aliarum non ponenti. Confirmatur. Praecipuus Spiritus Sancti effectus in anima est gratia sanctificans, per quam Spiritus in ea specialius inhabitat; atqui quando confertur gratia subjecto obicem non ponenti, confertur illi praecipuus effectus talis causae, ut ex physicis constat, & expressè fatetur antiquissimus Ecclesiae Pater Cyrillus Hierosol. Catecheli 3. dicens: *unguento quidem visibili cor-*

*pus inungitur; Sancto vero, ac vivifico Spiritu anima sanctificatur; ergo &c.*

Respondent 1. Haereticis, illam manuum impositionem fuisse tantum caeremoniam Baptismi, qua Apostoli baptizatos DEO offerrebant, atque pro illis orabant. Contrà tamen 1. Puram caeremoniam non confertur ex opere operato gratia sanctificans obicem non ponenti; sed per illam manuum impositionem conferebatur gratia sanctificans, ut constat ex num. superiori; ergo &c. Contrà 2. Non minime possent Apostoli orare Hierosolymis pro baptizatis, quam in Samaria, neque solum postea orare Episcopi, sed etiam, qui non erant Episcopi ordinati: atqui ad adhibendam illam manuum impositionem missi sunt Petrus, & Joannes Actor. 8. jam ordinati Episcopi, eaque de causa adierunt Samariam 32. milliariis ab Hierosolymis distantem; ergo non erat pura caeremonia ad orandum pro baptizatis.

Respondent 2. per illud signum sensibile impositionis manuum non contulisse Apollolos gratiam sanctificantem, sed alias gratis data, nimirum donum linguarum, & prophetiam, cum ex Actor. 19. constat, locutos variis linguis, & prophetizasse eos, quibus Paulus manus imposuerat. Contrà 1. Licet donum linguarum, & prophetiae sit donum Spiritus Sancti, non est praecipuus illius effectus, cum nobilior praecipuus sit gratia gratum faciens; imò iste est generalis, & spectans ad meritum potius, & utilitatem habentis, & in statu elevationis promissus omnibus per Sacramenta, utpote ad meritum suscipientis conducens; atqui in subjecto disposito causa non solum operatur aliquos minus nobiles effectus, sed etiam sui nobiliorem, & praecipuum effectum; ergo illis, de quibus Actor. 19. (quandoquidem dispositi praesumendi sunt) non solum conferebantur per Spiritum Sanctum donum linguarum, & prophetiae; sed donum gratiae sanctificantis.

Contrà 2. & explicatur eadem ratio: in primitiva Ecclesia per illam impositionem manuum Apostolorum conferebatur omnibus Spiritus Sancti donum, de quo in locis citatis supra loquitur; atqui non conferebantur omnibus illae gratiae gratis datae, ut constat ex Paulo 1. Corinth. 12. *nunquid omnes Prophetae? nunquid omnes linguis loquuntur*; ergo donum universale Spiritus Sancti, de quo ibi supra loquitur, non erat donum talis gratiae gratis datae, sed donum gratiae sanctificantis. Contrà 3. Gratia sanctificans, licet sit etiam gratis data, ex ea non vocatur gratis data, ad aliarum gratiarum distinctionem, quia illae non conducunt praecipue, sicut gratia habitualis, ad recipientis meritum, sed aliorum utilitatem; neque sunt promissae omnibus obicem non ponentibus per collationem Spiritus Sancti, sicque gratis illis dantur; gratia vero sanctificans ita conducit ad proprium recipientis meritum, & promissum erat per collationem Spiritus Sancti omnibus obicem

bicem non ponentibus; ergo in sensu vero Scripturæ donum Spiritus Sancti, quod conferebatur omnibus, non erat gratis datum, sed gratia sanctificans.

Respondent 3. alii Hæreticum Kemnitio, illam manuum impositionem fuisse quidem cæremoniã à Christo institutam ad conferendum omnibus Spiritum Sanctum, sed solum ex speciali privilegio, quod non duravit, nisi tempore Apostolorum, cum tunc descenderent visibili linguæ igneæ ad impositionem manuum Apostolorum, quod tamen modò non contingit. Contra tamen 1. Non est de essentia Sacramenti, quòd, quando gratia sanctificans, sive Spiritus Sanctus per Sacramenta confertur, descendant visibiliter linguæ igneæ, sed sufficit, quòd gratia sanctificans ex opere operato, sive ex vi Sacramenti confertur: etenim apud ipsos Adversarios Baptismus est Sacramentum à Christo institutum, quantumvis super baptizatos linguæ igneæ visibiliter non descenderint; atqui illud signum impositionis manuum à Christo institutum, per quod confertur Spiritus S. sive gratia sanctificans, non solum duravit tempore Apostolorum, sed adhuc durat in Ecclesia DEI; quando nimirum Episcopus imponit manum super frontem illius, qui confirmatur, eum ungens chrismate, & consiciens Sacramentum Confirmationis; ergo &c.

9. Probatum min. ex SS. PP. ab ipsis Hæreticis admittis, Cyprian, enim Epist. 73. ad Gubajanum, postquam retulit factum Apostolorum Petri & Joannis Actor. 8. addit, quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostrum ordinem, ac manus impositionem Spiritum S. consequantur, & signaculo Dominico consummentur. Aug. lib. 19. de Trinit. cap. 26. Neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum S. orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia, quibus in verbis præ clarissime se explicat Augustinus, valor enim actionis Sacramentalis non provenit à dignitate Ministris, sed Christi instituentis, ut à num. 193. de Sacram. & sicut propter hanc rationem dixerat Augustinus citatus ibi num. 195. quando Ministri baptizant, Christum baptizare, sic modo dicit, quando Episcopi confirmant, non illos conferre, sed Christum conferre Spiritum S. ergo &c.

10. Contra 2. Quando signum aliquod practicum institutum est ad placitum ad causandum perpetuò unum effectum, & ad significandum in consortio illius alterum effectum, non quidem perpetuò, sed solum ad tempus, ex defectu effectus significati ad tempus perperam inferitur defectus alterius effectus perpetuò significati, ut ex Sacramentis notum est; atqui Sacramentum Confirm: per manus impositionem institutum est ad placitum Christi, scilicet ad causandam perpetuò gratiam, & solum ad

causandum ad tempus, per miracula sensibilia nimirum dum primordia Ecclesiæ dilatabantur; ergo ex eo, quòd cessaverit effectus miraculorum sensibilibus cessante causa, cum Ecclesia primordia jam sint dilatata, perperam inferitur cessasse virtutem gratiæ sive Spiritus S. collativam. Maj. & conseq. tenent.

Min. autem manifeste Probatum ex Augustino Tom. 1. lib. 3. de Bapt. contra Donat. cap. 16. dicente: neque enim temporalibus, sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modò darur Spiritus S. sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda; quis enim nunc hoc exspectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum S. imponitur, repentè incipiant linguis loqui? sed invisibiliter, & laetenter intelligitur, per vinculum pacis eorum cordibus Divina charitas inspiratur, ut possint dicere, quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; quod equidem iterum reperit Augustinus Tom. 9. in 1. Epist. Joannis Tract. 6. post medium; ergo &c.

Probatum 2. Conclusio ex SS. PP. qui tribus 1. sæculis floruerunt, & Melchiam Papam præcesserunt; Dionys. enim Apostoli Petri Discipulus cap. 2. de Hierarch. Eccles. Confirmationis Sacramentum explicans ait, baptizatum indutum alba veste ad Episcopum ducunt, ille Divino, & deifico prorsus unguento visum signat. & cap. 4. postquam de Evcharistia mentionem fecit, ait, ei finitimum est aliud Sacramentum, quod præceptores nostri unguenti Mysterium nominant. Urbanus I. Pont. XVI. post Petrum in Epist. sua cap. 7. omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum S. post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur. Tertul. de Resurrect. carnis cap. 8. postquam explicavit Baptismum, & ante Evcharistiæ declarationem, ita exponit confirmationis Sacramentum: *Caro ungitur, ut anima consecratur: caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur.* Quibus in verbis, & explicat unctionem, quæ chrismate fit, & signum, quod sua manu facit Episcopus proferens ea verba formæ, signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis. Similia habent Eusebius Martyr, Cyprianus alii videndi apud Archidium; ergo Confirmationis Sacramentum clarè inferitur traditione primorum Sæculorum.

Confirm. ex Conc. Laodicensi celebrato An. 364. & Confirmato in 6. Synodo Generali: ibi in cap. 48. ita habetur: *Oportet, baptizatos post Baptismum Sacratissimum chrisma percipere, tum etiam ex Concil. Aurel. quod habetur de consec. dist. 5. Canone jejunii, & ex Conc. Meldensi eadem dist. can. ut Episcopi, in illo enim precipitur, ut Confirmandus accedat jejuniis ad Sacramentum; in isto vero, ut Episcopus*

pus non nisi jejunus hoc Sacramentum ministrat, tum etiam ex Clem. Alexandrino, aliisque quamplurimis PP. Græcis apud Arcud. supra citatum. Tum ex Clem. Rom. Epist. 4. dicente: *Omnibus festinandum est, sine mora renasci, & demum consignari ab Episcopo; ergo &c.*

14. Probatur 3. Conclusio evertendo ultimum Hæreticorum fundamentum. Patres 4. & 5. Sæculi docent, Confirmationem esse Sacramentum in ea proprietate, qua est Baptismus; sed apud ipsos Adversarios Baptismus est propriissime Sacramentum; ergo & Confirmatio. Probatur maj. ex Cypriano Epist. 72. ad Stephanum Papam, ubi de Baptismo, & Confirmatione loquens ait: *Tunc demum plene Sanctificari, & esse Filii DEI possunt, si Sacramento utroque nascantur.* Quod significavit Concil. Regiense habitum Aërâ 742. definiens cap. 4. Confirmationem ab Episcopo faciendam; etenim Confirmare in fide per Exhortationem, aut verba, quæ non constituunt Sacramentum, fieri potest ab aliis, quàm ab Episcopo, tum ex Augustino lib. 2. contra literas Peticiani Donatistæ cap. 104. post medium, comparante Sacramentum chrismatis, sive Confirmationem Baptismo per hæc verba: *in hoc unguento Sacramentum chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Ex Euseb. 1. Pont. 31. post Petrum Epist. 3. ad Episcopos Tusiæ, & Compa. ubi de Confirmatione sic habet: *Manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à Summis Sacerdotibus.* Ex his Melchisedes Papa Successor Eusebii in Epist. ad Episcopos Hispaniæ rogatus, quodnam majus esset Sacramentum, Baptismus, an Confirmatio? respondit: *scitote, utrumque magnum esse Sacramentum; ergo &c.*

## SECTIO II.

### Solvuntur Opposita.

15. **O**bjicies 1. ex Hæreticis: quod nunc fit ab Episcopis, non est idem, quod factum fuit ab Apostolis Actor. 8. & 19. ergo licet permittatur, cæremoniam illam fuisse Sacramentum, non exinde inferitur, Confirmationem esse modò Sacramentum. Probatur antec. Ab Apostolis dabatur Spiritus Sanctus cum dono linguarum, aliisque donis; sed hæc jam non dantur ab Episcopis, ergo &c. Confirmatur 1. Apostoli tantum manus imponebant; atqui modò Cpnfirmatio non fit impositione manûs, sed chrismate; ergo &c. Confirmatur 2. Confirmatio nostra non potest iterari; atqui illa manuum impositio iterari poterat teste Augustino lib. 3. de Bapr. cap. 26. dicente: *manus autem impositio non, sicut Baptismus, repeti non potest: quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?*

ergo &c. Confirmatur 3. Apostoli semper imponebant manus; atqui Episcopi non imponunt, nisi manus; ergo &c.

Respondeo dist. antec. non est idem secundum essentialia requisitum ad rationem Sacramenti, nego; secundum accidentalia, & temporario solum conjunctum, conc. antec. & nego consequentiam. Ad probationem dist. maj. cum dono linguarum, aliisque donis accidentario conjunctis, conc. essentialiter requisitis ad rationem Sacramenti, nego maj. & dist. min. nego consequentiam; quia essentialia requisita ad rationem Sacramenti stant in virtute collativa gratiæ habitualis superaddita ex Christi institutione huic Sacramento ratione collativa characteris, quæ non minus, quàm in primitiva Ecclesia conferuntur modò per Confirmationem, ut constat ex num. 9. illa vero gratia gratis datæ accidentario solum erant conjuncta, ut constat ex num. 11. neque conferebantur omnibus, sed solum aliquibus, ut constat ex num. 7. Ad primam confirmationem nego maj. et dictis num. 80. de Sacramentis; quia Apostoli licet juxta sententiam probabilem D. Thomæ aliquando usi fuerint sola manuum impositione ex privilegio ipsis concessio, vel ad conferendum effectum solum Sacramenti, ut plures volunt cum Magistro Serra; vel ad conferendum non solum effectum, sed etiam ipsum confirmationis Sacramentum, ut cum pluribus defendit Gonet, ex eo quòd tempore Apostolorum, cum interdum plura hominum millia uno die baptizarentur, mósque tunc esset, ut baptizati statim confirmarentur, congruum erat, Apostolos ab hac cura inungendi chrismate liberarer Christus, quando ipsa occasio ita postulare videretur, & Spiritu S. ad solam manuum impositionem patenter veniente; sed aliquando etiam utebantur chrismate inflicto à Christo pro cæterorum hominum ministrations, ideoque solum materialiter distinguebatur una materia ab altera, ut ex dictis loco supra citato de Sacram. satis constat.

Responder 2. Bellarm. lib. 2. de Confirm. cap. 9. quem plures sequuntur, & valde probabile judicat Eximius Doct. disp. 33. sect. 4. semper Apostolos usus fuisse chrismate. Scriptura autem dicit Apostolos imposuisse manus, at non dicit imposuisse manus sine chrismate; sic dicit hominem fide justificari, at nunquam dixit justificari sola fide: cum autem Apostoli ipsorum manu chrismate ungerent eos, quæ confirmabant, quando effectum Sacramenti cum Sacramento conferebant, exinde vocatur confirmatio per Sacramentum chrismatis, & impositionis manus; quod quidem verumimilius apparet ex Testimon. Dionys. cit. num. 12. & ex Augustino, & Cypr. citatis num. 9. qui dicunt morem Apostolorum servari ab Ecclesia, quando eorum Præpositi seu Episcopi confirmant, isti autem non imponunt solam manum, sed eam imponunt chrismate ungentes, ex traditione etiam constabit num. 27. Chr.

Aut Dominus in nocte cenæ docuit Apostolos chrisma conficere, unde valde probabile est, Apostolos in Sacramento Confirm. semper usos fuisse chrismate. Hæc ad eruditionem inutilia non sunt, etsi ad solutionem argumenti minimè sint necessaria, ut constat ex dictis.

Ad 2. Confirm. con. maj. & nego min. illa enim manuum impositio, quæ Apostoli confirmabant, non erat iterabilis; Testimonium autem Augusti. Non venit ad rem, ubi enim August. non agit de impositione manuum confirmativa, sed de reconciliativa, quæ fit in Sacramento Penitentia, & iterari potest, sicut & ipsum Penitentia Sacramentum. Hoc in sensu explicatur Augustinus in decreto citatus causa 1. quæst. 1. cap. manus, & colligitur ex ipsius Augustini contextu, qui sic prosequitur: nam quod in typo unitatis, Petro Dominus dedit potestatem, ut id solveret in terris, quod ille solvisset. Ad 3. Confirm. nego maj. quia licet aliquando manus imponerent, id necesse non erat ad Sacramentum, neque ad conferendum Spiritum S. sed sufficebat imponere manum, ut constat ex Act. 8. vers. 18. ubi dicitur: cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus S. obrulit eis pecuniam, & expressè constat ex testimoniis Cypr. & Aug. citatis num. 9.

Objicies 2. Homini jam nato sufficit in ordine naturali cibus & potus, ut augeatur, & acquirat omnem suam perfectionem naturalem; ergo homini per Baptismum nato in ordine supernaturali sufficit cibus & potus Eucharisticus; ut augeatur, & acquirat omnem suam perfectionem supernaturalem, ac proinde perperam admititur Sacramentum Confirm. ultra Sacramentum Baptismi, & Eucharistia. Resp. nego antec. quia homini jam nato plures imminet infirmitates, plura pericula contra vitam naturalem, ad quæ fugienda non sufficiunt potus & cibus, imò ad acquirendas vires cibo, & potu, necessaria sunt plura temporis intervalla; at verò per Sacramentum Confirm. voluit Christus absque temporum intervallo vires animæ conferre ad pugnam contra Tyrannos, sicut contulit Apostolis Spiritum S. in die Pentecostes, cui, ut ait Hieron. in Dialogo contra Luciferianos, correspondet quo ad effectum confirmatio Sacramentalis. Apparet insuper ineptissimè formare Adversarios hoc argumentum ex rebus naturalibus ad rem supernaturalem ad placitum institutam; nam Christus Dominus si voluisset, per unum; & idem Sacramentum posset omnes istos effectus communicare, quod non ita fecit, quia noluit, ut ex Script. & PP. supra citatis perspicuum apparet.

Objicies 3. Licet multa ordinaverit Christus, quæ non sunt expressè in Script. at verò ea omnia, quorum notitia, & fides necessaria est, qualia sunt Sacramenta, expressa sunt in Scriptura, ut constat ex Augustino dicente: multa quidem Dominum, & dixisse, & fecisse,

quæ scripta non sunt, electa verò esse, quæ scriberentur, quæ credentium saluti sufficerent; atqui Sacramentum Confirm. non ita reperitur expressum in Scriptura; ergo &c. Resp. dist. maj. expressa sunt in Scriptura immediate, nego; immediate, vel mediate, con. maj. & dist. min. nego conseq. sufficit enim, quòd in Scriptura reperitur expressum testimonium, ex cuius vera intelligentia ea veritas deducatur, & in eo sensu ab Ecclesia explicetur. Neque negare id possunt Adversarii, adhuc juxta sua propria, quando explicatio habetur in PP. primorum Sæculorum, ut evenit in nostro casu. Augustinus autem nobis clarè favet, cum dicat, se desiderare explicationem Ecclesie aut Concil. Generalis, quando aliqua veritas non est immediate nobis satis expressa, ut constat ex num. 126. de Sacram. unde quæ scripta sunt, saluti sufficiunt, cum satis sit, ut ex illis possit Ecclesia veritates nobis explicare.

Objicies 4. Spes, & Caritas sunt virtutes nobiliores, quàm fides; atqui nullam institutum est, Sacramentum ad inducendam peculiarem Spei aut Charitatis perfectionem; ergo neque ad inducendam perfectionem fidei, ac proinde Confirmatio quæ ad hoc deserviret, non est à Christo instituta. Confirm. Baptismus utpotè Sacramentum fidei sufficienter præstat effectus, quos præstaret Confirmatio; ergo Confirm. Sacramentum inutile omnino esset. Resp. N. conseq. quia Sacramenta non sunt instituta ad exigentiam virtutum; aliter instituta jam essent ab initio mundi, sed ad placitum Christi Domini, qui voluit instituire Confirmacionem ad roborandam fidem, & noluit peculiare aliud instituire Sacramentum ad roborandam Spem aut Charitatem. Ultra hanc rationem à priori est etiam congruentius, quia regulariter non displicet multum alicui, quòd verus DEUS ab aliis ametur super omnia, & in eo sperent. Displicet verò multis professio Christiana, contra quam acriter pugnant, eaque de causa Athletæ Christi peculiari Sacramento muniuntur ad victoriam. Ad Confirm. nego antec. quia Sacramentum Baptismi, ut ex S. Literis, & PP. constat, institutum est ad regenerandum; Sacramentum autem Confirm. ad roborandum in fide, quæ diversa sunt munia.

Objicies 5. In lege veteri expressit DEUS per figuras, & similitudines Sacramenta novæ legis; atqui solum erant in lege veteri figuræ, & similitudines Baptismi, & Eucharistia; ergo &c. Confirm. Christus aliquo eorum usu consecravit omnia Sacramenta à se instituta; atqui solum suscepit Baptismum, & Eucharistiam, secus alia Sacramenta; ergo præter Baptismum, & Eucharistiam non instituit alia Sacramenta. Resp. 1. ex D. Thoma dist. maj. aliqua Sacramenta, con. omnia, N. maj. & permittit min. quæ falsa est, ut patet in matrimonio, N. conseq. quia cum hoc pendeat à libito DEI, nequit fieri paritas ex his ad alia. Ratio autem peculiaris, cur in lege veteri non fuerint

fuerint figuræ propriæ Sacramenti Confirmationis, traditur à D. Thoma quæst. 72. art. 1. ad 2. per hæc verba : ad 2. dicendum, quòd quia Confirmatio est Sacramentum plenitudinis gratiæ, non potuit habere aliquid respondens in veteri Testamento, quia nihil ad perfectum adduxit lex, ut dicitur Hebr. 7.

23. Resp. 2. Dist. aliter maj. per figuras, & similitudines, vel magis, vel minus proprias, permitto; æque proprias pro omnibus Sacramentis, nego maj. & dist. min. nego conseq. quia, licet minus propriæ, jam fuerunt in veteri lege similitudines Sacramenti confirmationis, nam oleum Eliæ, Elisæi, unctio Pontificum, & ferè omnes mysticæ unctiones legis antiquæ fuerunt figura Sacramenti confirmationis, ut in Sermo : de unctioe chrismatis ait Cypr. per

hæc verba : à facie novi olei desiccatae sunt unctioes antiquæ; nec dissonat in hoc sensu D. Thomas in 4. disp. 7. quæst. 1. art. 1. quæst. 1. ad 3. dicens : *Aliquomodo fuisse hoc Sacramentum adumbratum in unctioe Pontificum, qua significabatur unctio Christi, à qua hæc unctio derivatur.* Ad Confirm. nego maj. quia Christus Dominus utpote Auctor Sacramentorum, non egebat aliqua actione Sacramentali à se distincta, neque suscepit Sacramentum Baptismi, sed Baptismum Joannis. Suscepit autem Evcharistiam propter peculiaritatem ejus dignitatem, ut intelligeretur, ipsum Christum verè, & realiter in ea contineri; quod notare debuissent hæretici, ne realem Christi præsentiam in eo mirabili Sacramento negarent.

## DISPUTATIO II.

### DE INSTITUTIONE, ET ESSENTIA CONFIRMATIONIS.

24. Sacramentum Confirmationis habet terminum à quo, sicut de Baptismo dictum est num. 15. eadem enim utrobique ratio militat. Habet etiam terminum ad quem, qui usque ad Pentecosten completus non fuit, neque Sacramentum istud usque ad illud tempus suum communicabat effectum. Ratio est, quia effectus hujus Sacramenti est plenitudo Spiritus S. quæ usque ad tempus illud, in quo Christi mysteria completerentur, danda non erat, ex illo Joannis 7. nondum erat Spiritus datus, quia JESUS nondum erat glorificatus. Unde quando Joannis 20. Christus dixit Discipulis : accipite Spiritum S. non erat Sermo de hac plenitudine, sed de gratia, & potestate judiciali ad absolvendum, aut Episcopali simul ad gubernandam Ecclesiam; exinde judicant graviores Theologi, non decuisse administrare hoc Sacramentum ante Adventum Spiritus S. cum præcipuus illius effectus ante illud tempus conferendus non esset, quo in sensu communiter nostri, & Thomistæ cum Eximio Doctore explicant D. Thomam quæst. 72. art. 1. ad 10. dicente : *Quòd Christus instituit hoc Sacramentum non exhibendo, sed promittendo, nimirum ejus effectum à die Pentecostes; in die autem Pentecostes ex speciali DEI privilegio receperunt Apostoli absque Sacramento effectum hujus Sacramenti, ut ferè omnes Theologi docent, neque apud ipsos ulla in hac parte exstat controversia; cæterum ut deveniamus ad difficultates, quæ hinc inde controversantur, sit*



#### SECTIO I.

*Institutionis tempus, & hujus Sacramenti essentia designantur.*

Astero 1. Cùm Eximio Doct. communiorum Astorum, & Thomistarum, Sacramentum Confirmationis quo ad substantiam, verosimilius est, institutum fuisse à Christo Domino in nocte cenæ. Probat 1. institutio Confirmationis utpote à Christi voluntate dependens aliter nobis innoscere non potest, quam ex Scriptura, vel extraditione. Insuper tempus institutionis ex Scriptura aperte non inferitur, ut fatentur omnes Theologi; atqui ex traditione verosimilius inferitur, institutionem factam nocte cenæ; ergo &c. Probat 2. min. sicut vult Christus Baptisma instituit, non quidem quando Apostolis præcepit baptizare gentes, vel Baptisma promisit, sed quando materiam Baptismatis formavit, & contactu suæ munditiæ carnis in Jordane consecravit; ita nunc verosimilius est, Sacramentum confirmationis instituisse, quando hujus Sacramenti materiam sive chrisma conficere docuit; atqui ex perpetua Ecclesiæ traditione in nocte cenæ docuit Apostolos chrisma conficere, ut constat ex Iribiano Papa Epist. 2. ad Episcopo Orient. dicente : *In illa enim die Dominus JESUS postquam cenavit cum Discip. suis, & lavit eorum pedes (sicut à SS. Apostolis prædecessoribus nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) chrisma conficere docuit; atque hæc est ratio cur Ecclesia Catholica quot annis veteri consuetudine novum chrisma consecret in die cenæ; ergo &c.*

Probat 2. Contra Bachonium in 4. c. 1. centem, institutum fuisse, quando Matth. 19. Christus